



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 154. De manso traditio in villa Sulbeke in pago Auga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**

Ab anno  
826 vsque  
853 im-  
perante  
Hludo-  
uico et

§. 153.

Tradidit folker quidquid habuit in *riudium* (q) testef folcbold bernulf bant heio ailbern et alii XVII.

§. 154.

Tradidit fini in *sulbeke* (r) mansum unum testef odulf erluni erlulf adalold et alii tres.

§. 155.

Tradidit *jda mente deuotissima* (f) ad reliquias sc̄orum martyrum stephani et uiti ref proprietatis suae quas sibi dominus imperator hludouuicus

data idus mai anno Xpo propitio XXI imperii domni hludouuici piissimi augusti indictione XII actum aquisgrani palatio regio in d̄i nomine feliciter amen.

Sigillum exhibuimus  
Tab. II. n. 6.

Cum itaque supra §. 33. villa *Budinifeld* in pago Logne collocetur, hoc autem loco in Angeri, nulla ex eo repugnantia se prodit. Nam indicatur prouincia maior per Angariam. Supra autem pagus specialis, qui pagus Logni erat, memorabatur.

De villa  
Riudium.

(q) De villa *Riudium* in pago *Ambergo* vide supra §. 127. not. (u). De *Folkero* porro, qui tradidit in hac villa, quidquid habuit, vide §. 104. not. (††).

De villa  
Sulbeke.

(r) *Sulbeke* villa distinguenda est a *Sulbichi* villa, quae in allato diplomate Hludouuici ponitur in pago *Logni*. *Sulbeke* enim quaedam erat, testante nostro Registro, in pago *Auga*. Est autem villa *Sulbeke* dudum derelicta, quondam sita inter oppidum *Holzminden*, et vicum *Luchteringen* in territorio Corbeienfi. conf. infra §. 257.

De Ida  
ducissa.

(f) Cum *Ida mentis deuotissima* femina appelletur; probabilissimum est, hoc esse exinde profectum, quod gratificari voluit abbati suo Warino huius loci scriptor, non quidem ut adularetur illum, sed tantum ut indicaret, qua gauderet matre reuerendus praesul. Docent enim Acta Idae ducissae Tom. I. Leibn. p. 171. sqq. ab Uffingo, monacho Werthinensi, conscripta, illam reuera valde deuotam, quin immo inter sanctas numeratam, *Idam* fuisse vxorem ducis *Ecberti*, ac matrem *Bouonis*, *Cobbonis* ac *Luidolfi*, comitum, itemque *Warini* abbatis Corbeienfis, atque *Hadwy* abbatissae, vtiam supra §. 104. not. (n) diximus. Nihil ergo restat, nisi ut demonstremus quoque, eandem *Idam* oriundam fuisse e stirpe potentum Franciae regum, ac filiam fuisse *Bernhardi*, fratris regis *Pipini*. Hoc autem eam ob causam ostendamus necesse est, quia scimus, doctos viros plerumque hic abire passim in contrariam sententiam. Leibniti putauit T. I. S. R. B. in *Introduct.* num. 9. patrem *Idae* ducissae fuisse vel *Nebelungum*, *Matriacensem* comitem, e *Childebrando* natum, quem *Caroli Martelli* fratrem *Fredegarius* fuisse suspicatur, vel *Theodoricum*, magnae apud *Carolum Magnum* auctoritatis, et *Ripuarii* praefectum, qui, vt infra ostendimus, *Westfalis* proximi erant. Quia autem haec tantum doctae Leibniti erant coniecturae, in coniecturis autem nunquam non quodam metu agitatur, verentes, ne res aliter se habeat; igitur *Nic. Hier. Gundlingius* in Libro de *Henrico Aucepe* p. 6. seq. arbitratus fuit, *Idam* *Caroli Magni* fuisse neptem ex filia *Berta* natam, quae *Berta Angilberti* coniugio fuerit copulata, eique *Harnidum* et *Nithardum* pepererit, ipso *Nithardo* teste. Sed saepius mirati sumus, viros doctissimos atque acutissimos non vidisse, *Idam* *Caroli M.* neptem, ex filia *Berta* natam, esse non potuisse, eo quod *Chronologia* repugnat.